



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

68. An quando quis sub secreto naturali scit sollicitationem in confessione,
teneatur illam denunciare? Et quid, si secretum fuisset promissum sub
iuramento? Et infertur, quod hæresis, & sollicitatio ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisitor. &c. Ref. XVIII. &c. 405

Affirmativam sententiam docet Fagundez de precept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 3. i. cuius sententia mihi non placuit, in part. 1. r. 4. res. 2. 4. & novissimè ex eadem Societate illam impugnât Castus Palas tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 5. Ratio est manifesta, quia, ut probat Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 48. & communiter, certum est, si denuntiatio est necessaria ad damnum aliquod publicum, vel privatum avertendum, promissionem secreti etiam juramento confirmatam non obligare, nullum enim juramentum promissorum cadens in damnum tertij & Reipublicæ obligat, ac proinde talis teneatur illud aperire, non secus ac si non promississet.

2. Sed hæc omnia accidunt in casu nostro, ut non coequentur parit, nam expedit bono Reipublicæ Christianæ tales Confessiones puniri, & ideo Gregorius X V. assertit in sua Bulla in hoc casu procedendum esse, sicut proceditur in causis fidei ergo, &c.

RESOL. LXVIII.

An quando quis sub secreto naturali scit sollicitationem in confessione, teneatur illam denunciare?

Et quid, si secretum fuisset promissum sub juramento?

Et inferitur, quod hæresis & sollicitatio in confessione est denuncianda absque prævia correctione fraterna, & si tales emendati fuerint? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 46.

Proni sunt aliqui ex Doctoribus Lusitanis ad tuendam sententiam negativam circa præsentem difficultatem; & ideo ego olim Fagundez impugnavi, & nunc impugno Fragolum, qui in Republic. Christi. tom. 2. part. 2. lib. 5. disp. 14. §. 1. num. 11. sic ait: Quod si crimen sollicitandi sciat sub secreto commissum, non est denunciandum; quia sicut iudex non potest obligare, ut illi denunciatur reus, de quo nulla est infamia, nec indicia sufficientia, quod commiserit tale, vel tale delictum; quoniam hoc esset infamare illum contra legem divinam cum onere restituendi: sic etiam, cum delictum scitur sub secreto, nec ab alio, quam ab uno scitur, non potest manifestari Iudici inquirenti generaliter, nec specialiter, cum secreta non subint punitioni Iudicis, sed divinæ vindictæ. D. Thomas 2. 2. quæst. 70. artic. 10. Navar. in Manuali, cap. 18. in fine; & alia via illi delicto obviari potest, D. Thomas supra quæst. 69. artic. 2. Navar. cit. num. 60. & 61. nisi criminofus esset huiusmodi sollicitationibus assuetus, & ad eadem crimina iteranda præparatus: tunc præmissa correctio fraterna, si post illam non speretur emenda, denunciatur. D. Thomas dict. quæst. 70. artic. 1. & Sotus lib. 5. de Iustit. q. 7. artic. 1. & Navar. ubi proxime, num. 60. ubi quando alia via excusari non potest, id solum derogatur, quod remedium est necessarium; & loquitur de delicto vergente in perniciem tertij, cui alia via obviari non potest. Ergo nullo modo sollicitantes sunt detegendi, si sub secreto commissum crimen sciat, & possit huic malo alia via occurrere, maxime per correctionem Evangelicam, aut per alia remedia, quæ charitas, & zelus animarum docere solet. Ita Fagundez.

2. Sed ejus sententiam prius rejiciendam esse puto, & novissimè illam refellit Escob. à Corro, de Confess. sollicit. part. 2. quæst. 2. §. 4. num. 45. & 46. etiam si in secretum fuerit promissum cum Iuramento, quia tunc esset vinculum iniquitatis. Quod etiam, me citato, tenet Carena in pravi S. Officij par. 2. tit. 9. §. 5. n. 22. & tit. 6. §. 22. num. 123. Bossius post tract. de Subil. in Appen. dub. 26. num. 87. & segq. Sanctarellus tract. de Her. cap. 9. num. 10. Suarez de fide, disput. 20. sect. 4.

num. 17. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia sollicitatio in Confessione est delictum, quod vergit contra bonum publicum, & commune, scilicet contra Sacramentum Pœnitentiæ, & ad illud Sacramentum accedentes; igitur, nullo obstante secreto, etiam jurato (excepto Sacramentali) talis sollicitatio est denuncianda.

3. Ad id verò, quod asserit Fragolas, ubi supra, de correctione fraterna, est major difficultas. Ego tamen puto, quod stante edicto nostri Sacri Tribunalis, hæresim, & sollicitationem in Confessione esse denunciandam absque prævia correctione fraterna; & præter Doctores alibi à me citatos, hanc sententiam novissimè tenet Oviedo in Republ. Regular. part. 1. tract. 1. cap. unico, q. 2. n. 48. cum seg. Itaque licet, stando in jure naturæ, hæreticus jam emendatus non debeat denunciari: sed cum hodie stringamur positivo jure, Ecclesiastico præcepto, Inquisitorum edicto, tenemur hæreticum quantumvis occultum, & emendatum, denunciare juridicè Inquisitoribus: tum quia hæc positiva lex includit naturalem de præponendo famæ, & bono hominis particularis (quod quidem ex lege naturæ conservandum aliàs foret, existente hæresi occulta, & emendata) bonum commune, & Ecclesiæ, quod periclitaretur, si tam contagiosum flagitium semel commissum non extingueretur. Tum quia semper debet timeri, quod verè, (id est pertinaciter) hæreticus, qui cum plena deliberatione Materi Ecclesiæ contradixit, sic se emendatum ostendat: ut dicit Simancas de Iust. tit. 9. n. 12. & alias rationes tradunt alij. Quare nec teneatur fraternè corrigere, nec de emendatis, & correctis omittere denunciationem. Hæc ratio specialis est, quia ex emendatione unius delinquentis, (nempe hæretici, qui fortè fieret ex correctione fraterna) non satisfacit bonum commune: deinde quia fortè ex illa hæresi aliqui infecti sunt. Nec alia est mens Dominorum Inquisitorum in illis verbis: [Sin comunicarlo con persona alguna, por que assi conviene vengais a manifestarlo.] Quia si consultatio omnis prohibetur, ne hæreticus fugiat; a fortiori intelligitur prohiberi præmitti admonitionem respectu personæ denunciandæ. Deinde, quia in dictis verbis intelligitur, nolle Dominos Inquisitores, qui ob suam specialem potestatem, & experientiam in delictis huiusmodi indagandis, & aperiendis, committere aliis iudicium de emendatione damni facti, spe emendationis hæretici, vel sollicitantis ad venera in Confessione, sed hoc sibi reservare. Et tandem, quia cum ex talibus criminibus tam grave damnum Reipublicæ prudenter debeat credi provenire, quamvis criminofus fortè possideat bonum famæ, (quia est secretum delictum) hoc bonum privatum postponendum est incolumitati, & bono communi; quia bonum gentis est divinius ex Philosophis, & præsumptio de incerta emendatione est certa contra in hoc crimen hæreseos lapsos, propter rationem dictam.

4. Alij verò asserunt non concurrere in præsentem casu jus positivum cum naturali: sed jus naturale nudum de consulendo bono, & famæ proximi, monendo ante denunciationem; cum jure naturali potiori (utique) de consulendo bono communi, denunciando, & cum securitate vitando fugam, providendo communi bono; quod non est dubium esse de lege, & jure naturali præcipuo, & non quidem nudo, sed simul cum jure positivo, legis, & præcepti Inquisitorum, de statim denunciando hæretico: unde, qui hæreticum ante monitionem denunciavit, præceptum juris communis observat propter rationem dictam: & simul jus, & præceptum positivum, & Inquisitorum. Nec ex hoc excusatur ab obligatione correctionis fraternæ, si sit possibilis, & judicetur ad bonum spirituale profutura.

Nec

Alibi sup. in Ref. 3. & 5. & pro Hæretico emendato, &c. hic etiam sup. in Ref. 6. 7. Sed ego & in Ref. 8. à lin. 2. & in Ref. 5. §. Po. dit naturalem de præponendo famæ, & bono hominis particularis (quod quidem ex lege naturæ conservandum aliàs foret, existente hæresi occulta, & emendata) bonum commune, & Ecclesiæ, quod periclitaretur, si tam contagiosum flagitium semel commissum non extingueretur. Tum quia semper debet timeri, quod verè, (id est pertinaciter) hæreticus, qui cum plena deliberatione Materi Ecclesiæ contradixit, sic se emendatum ostendat: ut dicit Simancas de Iust. tit. 9. n. 12. & alias rationes tradunt alij. Quare nec teneatur fraternè corrigere, nec de emendatis, & correctis omittere denunciationem. Hæc ratio specialis est, quia ex emendatione unius delinquentis, (nempe hæretici, qui fortè fieret ex correctione fraterna) non satisfacit bonum commune: deinde quia fortè ex illa hæresi aliqui infecti sunt. Nec alia est mens Dominorum Inquisitorum in illis verbis: [Sin comunicarlo con persona alguna, por que assi conviene vengais a manifestarlo.] Quia si consultatio omnis prohibetur, ne hæreticus fugiat; a fortiori intelligitur prohiberi præmitti admonitionem respectu personæ denunciandæ. Deinde, quia in dictis verbis intelligitur, nolle Dominos Inquisitores, qui ob suam specialem potestatem, & experientiam in delictis huiusmodi indagandis, & aperiendis, committere aliis iudicium de emendatione damni facti, spe emendationis hæretici, vel sollicitantis ad venera in Confessione, sed hoc sibi reservare. Et tandem, quia cum ex talibus criminibus tam grave damnum Reipublicæ prudenter debeat credi provenire, quamvis criminofus fortè possideat bonum famæ, (quia est secretum delictum) hoc bonum privatum postponendum est incolumitati, & bono communi; quia bonum gentis est divinius ex Philosophis, & præsumptio de incerta emendatione est certa contra in hoc crimen hæreseos lapsos, propter rationem dictam.

Nec id impedire intendunt Domini Inquisitores, imò & illis id placet maximè, cum non minus, sed ardentius emendationem hæretici cupiant, quàm alij; & quod ad meliorem mentem reducat per correptionem, & emendationem imò & ad supplicium fructuosius perferendum. Et idè hanc sententiam, præter Oviedum ubi supra, docet etiam Ioseph. Roasfull. in *praxi Theol. mor. par. 3. lib. 3. cap. 6. num. 96. & 97.* probans hoc, ut supra visum est, ex edicto Inquisitorum, quod singulis annis promulgatur, quod habet vim legis Canonice, cum Inquisitores Apostolica auctoritate erant illud, & Tribunal istud procedat cum maxima scientia, prudentia, & consultatione. Probat secundò, quia hoc crimen est gravissimum, contagiosum, & nocivum bono publico, cui rarissimè potest remedium adhiberi per solam admonitionem privatam; & licet hæreticus videatur emendatus potest hoc fingere, ut sæpe fingunt; neque res tanta privato iudicio committenda est. Probat tertio, quia finis adequatus hujus denunciationis non est sola correctio, & emenda fratris; sed publica correctio, & securitas aliorum fidelium, ad quem finem secreta admonitio nunquam est sufficiens medium. Et sententia contraria, addit Rocasfull, habet locum secluso edicto Inquisitorum, quod non contradicit divino juri positivo *Matth. 18.* non enim prohibet, quin Evangelica correctio adhibeatur; sed jubet, ut ea sive adhibita, sive non adhibita, denunciatur hæreticus. Possimus etiam dicere, semper præcedere monitionem: monetur namque semper Christianus, ne aliquid contra fidem teneat: quæ monitio sufficit ut censetur quilibet Christianus aliquo modo correctus: sicut ad excommunicationem juris sufficit ipsa juris monitio.

5. Et tandem supra dictis Auctoribus addam Escobar à Corro tract. de Confess. sollicit. par. 2. quest. 4. §. 1. num. 56 ubi sic asserit. Limita nostram regulam in crimine sollicitationis, quod deferendum Inquisitoribus est absque prævia correctione. Amplia Primò dictam limitationem, ut procedat, quamvis verisimilis sit spes emendæ; quia etsi jure naturali attento, de quo loquuntur, plures loci Sacra Scripturæ, qui huic opponi videntur, obligatio denunciandi tunc cessat, tamen inspecto Inquisitorum denunciandi præcepto, aliud dicendum est. Et verè ferendus non est Souta de Confessariis sollicit. tract. 2. c. 6. n. 9. & 13. & in Aphor. lib. 1. cap. 34. num. 57. ubi absolute ait, quod si crimen sollicitationis sit occultum, habet atque moralis certitudo, quod servato fraternæ correctionis ordine, Confessarius emendabitur, non licet eum denunciare, & asseriri videntur Io. de la Cruz. 1. Directory conscientie, præc. 5. q. 2. dub. 5. conclus. 2. Fagundes ad 2. Ecclesia præceptum lib. 4. cap. 2. num. 32. Peyrinus in privileg. Minimorum tom. 2. constitut. 4. Gregorius XV. §. 9. num. 26. & in addit. ad eandem Constit. cap. 11. num. 26. & 27. quæ assertio destruit omnino obligationem denunciandi sollicitantes; tum quia omnis actus sollicitandi ad turpia sua ex natura semper occulte fit: nunquam enim vidisti, quod publice fiat non solum in Sacramento Pœnitentiæ, verum nec extra. Et si pœnitens sollicitata ad corrigendum accederet, Confessarius emendam simularet causa vitandæ denunciationis; & sic raro similia atrocissima delicta debitam haberent coercitionem cum Sacramenti injuria, & animarum perniciem; quod nec ferendum, non consulendum, est. Tum, quia ex hac opinione non adimpleretur finis magis principalis denunciationis, qui pœnitentis est quo nititur Inquisitorum Edictum; & intendit sollicitatores punire, ut tam ipsi, quàm cæteri, tam horrendo crimine metu pœnæ saltem arceantur. Tum etiam, quia ex hac opinione plura gignerentur damna, & pericula in populo Christiano, & nihil metus denunciationis

proficeret; sed potius tolleretur spe correctionis præbendæ; ut de facto accidisse novi à quodam Confessario satis docto, & probo, & Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, qui sollicitatus fuit à quadam scemina, & resitendo, & consulendo ei veluti Pater, & Pastor, dixit impudica scemina nihil esse timori; nam licet ipse Confessarius eam sollicitasset in Confessione, maniri correctione poterat ad non denunciandum. Itaque prædicta opinio ad peccandum animum præbet, & ad pollendum sacrum fontem, ad coinquinandum animas fidelium, & spernendum Summorum Pontificum Decreta, & Inquisitorum præcepta: quod quidem ferendum non est. At si sit spes emendæ, & non timor fugæ, poterit correctio fieri, non animo omittendi denunciationem; sed ut emendatio quæ intenditur, citius consequatur: & si punitio necessaria fuerit, postea adhibeatur per denunciationem, quæ omitti non debet. Tum quia ita adimpletur præceptum naturale corrigendi, & positivum denunciandi. Tum, quia præceptum Inquisitorum non omnino rejicit correctionem; sed tantum jubet, quod ejus causa denunciatio non omittatur. Et hæc omnia docet Escobar loco citato. Itaque ex his patet, quod nostra sententia non adversatur doctrinæ D. Thomæ: unde non est audiendus novissimè Texeda in Theol. mor. tom. 2. lib. 3. tr. 1. num. 163.

RESOL. LXIX.

An quis teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, si hoc sciat, & audierit non solum à fide dignis, sed etiam à levibus personis? Ex p. 4. tr. 5. Rel. 28.

§. 1. **E**T incipiendo quoad fide dignos certum est eadessè obligationem, per ea, quæ addocet Villalobos in sum. tom. 2. tract. 17. diff. 1. num. 15. Navarr. de hæret. conf. 3. num. 1. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 1. pr. 8. art. 4. dub. 13. concl. 3. Pitaginus in præc. crim. regul. cap. 3. fol. mibi 167. Lellius lib. 2. cap. 30. dub. 7. num. 49. Reginaldus tom. 2. lib. 24. cap. 3. sect. 6. num. 50. Genuent. in præc. cap. 2. numero 9. Navarra de resit. lib. 2. cap. 4. num. 28. & alij communiter.

2. Difficultas est, an quis teneatur denunciare si audivit, v. g. Confessarium sollicitasse à levibus personis? & negativè videtur respondendum, per ea, quæ docet Rodriguez in 99. Reg. tom. 2. q. 6. art. 7. ubi firmat neminem obligatum esse denunciare, quod à gente parvi nominis & æstimationis audivit, ita ut si illis fidem dederit, de facilitate in credendo possit à prudentibus notari, quod adeo est verum, ut procedat etiam si à Superiore sub pœna excommunicationis & in virtute Spiritus sancti imperetur. Ita ille, & ita in terminis docet hanc sententiam Fagundes de præc. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. ubi sic ait. Si scemina dicat coram multis se fuisse sollicitam à tali Confessario in confessione sacramentali, & ea sit fide digna, jam talis Confessor manet infamatus, & qui audierit, tenentur sub excommunicatione denunciare; secus si sit leviuscula, aut non ita fide digna, & ita hanc sententiam docet etiam Portel, in addit. ad dub. regul. 2. ver. sollicitare sceminas, num. 22.

3. Sed ego contrariam sententiam teneo in nostro casu, & aliis pertinentibus ad sanctum Officium, cum talia delicta communi bono noceant, & ideo Thom. à Iesu in lib. de visitat. tract. 1. cap. 15. num. 11. sic asseruit. Nemo tenetur peccatum, de quo est dubium, an fuerit commissum, vel quod à levibus personis, vel minimè fide dignis referentibus audivit denunciare; secus verò si communi bono noceat, tunc enim

Sup. hoc sup.
in rel. 37.
Sed & in
rel. 4. & 5.
in to. 6. tr. 2.
rel. 99. Sult.
à lip. 6. & si
gnæ, et in lin.
pen. & in to.
7. tr. 1. rel.
249. §. ult. à
lin. 4. & in
to. 9. tr. 7. ex
doct. rel.
81. §. ult.
propè fin.